



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||**

**Johannes <Damascenus>**

**Parisiis, 1577**

De homine bilingui. cap. xcvi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)



forte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Gratia & misericordia est in electis eius, & visitatio in sanctis eius.

*Ecli. 35.* Sacrificium viri iusti acceptum est Deo.  
*Mat. 12.* Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona.

*Na 7.* Præstat à iusto cædi, quàm à malo honore affici.  
Nullas alias opes esse sapiens arbitratur, quàm virtutis possessionem: nullam aliam nobilitatem, quàm coniunctionem & familiaritatem cum Deo: nullam aliam dignitatem, ac potentiam, quàm principatum in seipsum tenere, nec humanis calamitatibus succumbere. Vita huius corporeæ diuturnitatem ægre fert: ac velut qui per mare graubus ærumnis cōfluctantur, ad resurrectionis portum peruenire festinat.

*simile.* Quemadmodum fragrantia vnguenta propinquum aërem suauitatis sua perfundunt: sic etiam probi viri præsentia iis, qui propius cum eo versantur, emolumentum affert.

DE HOMINE BILINGVI. CAP. XCVI.

*Ecli. 5.* **Q**ONDEMNATIO pessima super bilinguem. Omnis peccator inuidus & bilinguis ignominiam habebit. Sufurro & bilinguis maledictus: multos enim turbauit pacem habentes. Lingua duplex multos commouit, & disperfit illos de gente in gentem. Ciuitates muratas diuitum destruxit, & domos magnatorum effodit. Lingua duplex mulieres viro copulatas eiecit, & priuauit illas laboribus suis. Qui respicit illam, non habebit requiem, nec habebit amicum, in quo requiescat.

DE IUDICIBVS INCORRUPVIS, ET  
puras manus habentibus, ac iustitiæ munere fungentibus. CAP. XCVII.

*Exod. 23.* **N**SONTEM & iustum non occides, & impium non absolues. Viduæ & pupillo non nocebitis. Non sequeris turbam ad faciendum malum: nec in iudicio, plurimorum accipies sententiæ, vt à vero deues. Non accipies munera, quæ excæcant etiam prudentes, & subuertunt verba iustorum. Pauperis nō misereberis in iudicio. Non peruerteris iudicium pauperis in lite ipsius. Non facietis iniustitiam in iudicio. Non accipies personam pauperis, nec admiraberis faciem potentis. In iustitia iudicabis proximum tuum. Eadem iustitia erit aduenæ & indigenæ. Non accipietis redemptionem animæ ab homicida. Qui reus mortis est, hūc morte afficies.  
*Deut. 16.* Quod iustum est, iuste persequeris. Non agnosces personam in iudicio. Paruo & magno æquè iudices. Non reuerereberis faciē cuiusquam, quia iudicium Dei est. Non declinabis faciē aduenæ, nec pupilli, nec viduæ: nec oppignerabis vestem viduæ. Maledictus qui accipit munera, vt percutiat animā sanguinis innocentis: & dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui peruertit iudicium aduenæ, pupilli & viduæ: & dicet omnis populus, Amen.  
*Iob. 32.* Discite: & non sit iniustitia: & cum iusto conuenite. Qui purus est manibus, fiduciā assumat. Iniustos & iniquos iridebit. Hominem non erubescam, nec mortalem reuerbor. Neque enim scio admirari hominem. Sin secus, tineæ me arrodant.  
*Psal. 14.* Munera super innocentem non accepit. Qui facit hæc, nō mouebitur in æternum. Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore.  
*Pro. 31. 15.* Aperi os tuum, & omnes iustè iudica. Qui munera odit, salutem consequetur. Pretiosa res est vir purus. Reuereri faciē iudicio non est bonum.  
*Hier. 9.* In hoc gloriatur qui gloriatur, scire & nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio